

pris armis, & pro salute sua periclitati civitates suas à barbaris imminentibus liberarunt. Itidem totius ille tractus Armoricus, cæteræque Gallorum provinciæ Britannos imitatæ consimili se modo liberarunt, ejectis Romanis præsidibus & propria quadam republica ex arbitratu suo constituta. Hæc Britannia Celticarumque gentium rebellio, quo tempore Constantinus iste regnum usurpabat, accidit, quum ipsius in imperando fœcordia moti barbari libere provincias perfultarint. Paulo tamen post auxilium ab Honorio eslagitarunt Britannia civitates, quas ille nullo auxilio submisso, ut sibi caverent & confulerent, literis admonuit. Britanni acceptis Honorii Augusti literis excitati arma sumpserunt, ut urbes suas tuerentur, verum cum barbaris undique superinfusis pares non essent, obnixæ ab Honorio petunt, & impetrant, ut legio in subsidium mittatur, quæ huc prosecta magnam hostium multitudinem prostravit, cæteros è provinciæ finibus depulit, murumque cespitium, inter Fretum Edenburgense, & Cluidam ducendum curavit, qui nulli fere fuit usui. Nam revocata ad Galliam tutandam legione, illi reversi terminos facile rumpunt, & immani crudelitate omnia undique ferunt, rapiunt, lacerant. Iterum mittuntur queruli legati scissis vestibus operitisque sablone capitibus (notate morem) opem à Romanis petaturi, quibus jussu Valentiani III, militares destinantur manus sub Gallione Ravennate quæ fortissime barbaros profligarunt, afflictam perditamque provinciam quodmodo erexerunt. Murumque è saxis non ut alterum sumptu publico privatoque adjunctis secum miserabilibus indigenis solito structuræ more, tramite à mari usque ad mare inter urbes quæ ibidem forte ob metum hostium collocatæ fuerunt, directò librarunt, fortia formidoloso populo monita tradiderunt, exemplaria institutorum armorum reliquerunt. In littore quoque Oceani ad meridianam plagam, qua naves eorum habebantur (quia & inde barbarica fera bestia timebantur) turres per intervalla ad prospectum maris collocarunt, & sic Romani valedicunt ultra non reversuri.

Miserrima jam & luctuosissima erat ubique rerum facies, Imperium quasi ætate extrema plane mancum & omnibus membris captum jacuit, & Ecclesia ab hæreticis (qui inter bellorum incendia sua venena latissime diffundunt,) gravissime oppugnata. E quibus Pelagius hinc oriundus, in gratiam Dei iniquior solidam justitiam operibus nostris parari in hac insula docuit. Et Timotheus quidam contra divinam & humanam in Christo naturam impie inter Britannos disputavit.

Confecta nunc erat in Britannia Romanorum imperii periodus, quadringentesimus septuagesimus sextus, nimirum à Cæsaris ingressu annus, cum Valentiniano III, imperante, Romani transectis à Gallione ad Galliam defendendam copiis, & defossis thesauris, Britanniam sua juventute crebris delectibus exhaustam, omnique præsidio nudatam Pictorum & Scotorum immanitati reliquerunt. Vnde Prosper Aquitanus vere scripsit: *Hac tempestate præ invaletudine Romanorum vires funditus attenuatæ Britannia.* Et noster Malmesburienfis historicus: *Cum Tyranni nullum in agris præter semibarbaros, nullum in urbibus præter ventri deditos*

*reliquissent: Britannia omni patrocínio juvenilis vigoris viduata, omni exercitio artium exinanita, conterminarum gentium inhiationi diu obnoxia fuit. Siquidem à vestigio Scotorum & Pictorum incursione multi mortales cæsi, ville incensæ, urbes subrutæ, prorsus omnia ferro incendioque vastata. Turbati insulari qui omnia tutiora putarunt, quàm prælio decernere: partim pedibus salutem querentes fuga in montana contendunt, partim sepultis thesauris, quorum plerique in hac ætate defodiuntur, Romam ad petendas suppetias ire intendunt. Sed ut Nicephorus vere scripsit, Valentinianus III non solum Britanniam, Hispaniam, & Gallias quæ ejus imperio avulsæ fuerant, recuperare non potuit, sed Africam etiam perdidit. Non sine causa igitur hoc seculo exclamavit Gildas: Britannia omni armato militaribus copiis, rectoribus licet immanibus, ingenti juventute spoliata. Nam præter eos quos Maximus ille, & ultimus Constantinus abduxerunt, ex Inscriptionibus antiquis, & Notitia Provinciarum constat quod hi subscripti militabant Romanis dispersi per provincias, qui continuo ex Britannia suppleti.*

*Ala Britannica Milliaria.*

*Ala IV Britonum in Ægypto.*

*Cohors Prima Ælia Britonum.*

*Cohors III Britonum.*

*Cohors VII Britonum.*

*Cohors XXVI Britonum in Armenia.*

*Britannici sub Magistro peditum.*

*Invicti juniores Britannici } inter auxilia*

*Excucatores jun. Britan. } Palatina.*

*Britones cum Magistro Equitum Galliarum,*

*Invicti juniores Britones intra Hispanias.*

*Britones Seniores in Illyrico.*

Hinc minimè mirum si Britannia delectibus tot & tantis indies exhausta, barbaris fuerit exposita; & verum illud Taciti probatur. *Nihil validum in Romanis exercitibus nisi externum.*

Hæc dum ego de Romanorum in Britannia imperio quod ad quadringentesimum septuagesimum sextum plus minus annus, ut modò dixi, pertigit, commentor, & subinde mecum repeto, quot tanto tempore Romanorum coloniæ huc deductæ, quot milites huc Româ in præsidia continuo transmissi, quot ad res suas vel imperii agendas huc submissi, qui cum Britannis connubiis conjuncti hîc & sedes fixerunt, & sobolem susceperunt: *ubicunque, inquit Seneca, vicit Romanus, habitat.* Sæpenumerò animum subiit quod Britanni per hos Romanos qui à Trojanis proculdubio prognati, se in stirpem Trojanam verius inferant, quàm vel Arverni qui sanguine ab Iliaco Romanorum se fratres dixere, vel Mamertini, Hedui, & cæteri qui fabulosa origine se Trojanis imputavere. Communis illa mater enim, ut inquit ille, ROMA, cives vocavit,

*Quos domuit, nexuque pio longinqua revinxit.*

Et par est credamus Britannos & Romanos tot seculis in unam gentem quasi læta infusione coaluisse, cum Vbii in Germania anno vicesimo octavo post Coloniæ deductam de Romanis colonis responderint. *Deductis olim & nobiscum per connubium sociatis, quique mox provenere, hæc patria est. Nec vos adeò iniquos existimemus, ut interfici à nobis parentes, fratres, liberos nostros velitis.* Si Vbii, & Romani tantillo tempore inter se parentes, fratres, & liberi fuerunt, quid censeamus de Britannis &

Zosimus.

Historia Miscella.

Gallio Ravennas, Gildas, Inter ostia Tyne & Edeni.

Sigeb. Gembl. Anno 428.

Chronico Anglo-Saxonicum.

Britanni quomodo ex Trojana origine.

Tacitus lib. 4. histor.